


AD ELATIONEM CADAVERIS


Ant.
1.

E



PSAUME 50
Acte de contrition

Ton 1f



Mise-rére **me** - i, **De-** us, * secúndum magnam
misericór- *di- am* **tu** - am ;

2. Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem
meam.

3. Amplius lava me ab iniquitáte **mea** : * et a peccáto *meo* **munda** me.

4. Quóniam iniquitátem meam **ego cognósco** : * et peccátum meum
contra *me* est **semper**.

5. Tibi soli peccávi, et malum **coram te feci** : * ut justificéris in
sermónibus tuis, et vincas cum *judicáris*.

6. Ecce enim, in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit
me *mater mea*.

7. Ecce enim, veritátem **dilexísti** : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ
manifestásti **mihi**.

8. Aspérges me hyssópo, **et mundábor** : * lavábis me, et super nivem
dealbábor.

9. Audítui meo dabis gáudium **et lætítiam** : * et exsultábunt ossa
humiliáta.

10. Avérte fáciem tuam a peccátis **meis** : * et omnes iniquitátes *meas*
dele.

11. Cor mundum crea **in** me, **Deus** : * et spíritum rectum ínnova in
viscéribus meis.

12. Ne projicias me a **fácie tua** : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.
13. Redde mihi lætítiam salutáris **tui** : * et spíritu principáli *confírma* me.
14. Docébo iníquos **vias tuas** : * et ímpii ad te *converténtur*.
15. Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus **salútis meæ** : * et exsultábit lingua mea *justítiam tuam*.
16. Dómine, lábia **mea apéries** : * et os meum annuntiábit *laudem tuam*.
17. Quóniam si voluísses sacrificíum, **dedíssem útique** : * holocáustis non *delectáberis*.
18. Sacrificíum Deo spíritus **contribulátus** : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, *non despícies*.
19. Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua **Sion** : * ut ædificéntur muri *Jerúsalem*.
20. Tunc acceptábis sacrificíum justítiæ, oblatiónes, et **holocáusta** : * tunc impónent super altáre *tuum vítulos*.
21. Réquiem **ætérnam** * dóna *éi* **Dómine**.
22. Et **lux perpétua** * *lúceat éi*.